

*Lib. XXXV. Tit. I.***De Conditionibus & demonstratio-
nibus & causis, & modis eorum, quæ in Testa-
mento scribuntur.****§. 1. I. *Conditio*** sub quâ legatur, est**1. *Possibilis***, quæ suspendit legatum, & quidem*Casualis*, expectanda est*Potestativa*, positiva, implenda

negativa, per cautionem Mutianam firmanda,

nisi jam constet vivo legatario, factum non

iri quod Testator prohibuit.

Si impletio hujus conditionis non stat penes le-
gatarium, habetur pro impleta.*mixta*, mixtè etiam tractanda.**2. *Impossibilis***, *natura*, detrahitur*lege*, remittitur vid. tamen l. 58. ff. de *condict.
indebiti*.**§. 2. *Legatum Arbitrii*** & quidem**1. *heredis***, 1. *Cum* (quando) voluerit. i. e.

quovis tempore, dum vivit heres,

si mortuus sit heres, illicò præstandum vivo le-
gatario.

si antè moriatur legatarius, non transmittit.

2. Si voluerit: & hic si nolit, cogi non potest,nisi ipsius *tanquam viri boni* arbitrio commissum sit.**2. *Legatarii***, h. e. si declaret suam voluntatem.**3. *Tertii***, qui si non arbitrabitur, aliùs boni viri arbitrio com-
mittitur.**§. 3. *Legatum Pæna***, ni heres impleret quod aliàs Testator ipsi injunxit.
Hoc post Justin. etiam valet.Huc spectant *Executores Testamentarii*, Jure novissimo.

§. 4.